



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloqventiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

IX. Laudes actionum theatralium, Comœdiarum, Tragœdiarum, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

milibus, *bos mutus* nuncuparetur, qui postea tamen sui præceptoris Alberti Magni vaticinium confirmavit, tales edens mugitus, quos universus exaudivit mundus.

In REFUTATIONE præoccupabis difficultatem coercenda lingua, dicens, eò diligentius idonea conquirenda esse remedia, ac PRIMÒ, implorandum esse cum Davide auxiliùm divinum pro cõhibenda lingua: quia hæc linguæ frænatio primùm quidem ductu auspicioq; divino, ut loquitur Nazian. deinde verò etiam mentis nostræ clavo indiget. SECUNDÒ, antequam ad loquendum profilimus, habenda est ratio circumstantiarum temporis, loci, personarum, modi, & similibum: seu expendendum & præmeditandum est, quid sit loquendum, cui, quomodo, quo loco, & tempore. Loquendum enim de rebus utilibus, ex quibus vel nos, vel is, cum quo sermonem miscemus, fructum aliquem decerpat. Et recte ait Salomon: *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Et Syracides: *Lingua imprudentis subversio est ipsius.* Et Apostolus: *Sermo vester in gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuiq; respondere.*

Psal. 14. v. 3.

De silentio

4. dierum.

Prov. 13. v. 5.

cap. 5. v. 15.

Vide in parte 2. orat. de Silentio.

In CONCLUSIONE dehortaberis omnes à loquacitate, & sæpius mente cogitandum esse suadebis illam Christi vocem: *De omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicii.*

IX. LAVDES ACTIONVM THEATRALIVM, Comædiarum, Tragædiarum, &c.

EXORDIUM à sententia Socratis, quem dicere solitum memoriæ proditum est: *Vt vappa vinumq; pendens & austerum, gustatui, ita mores insubrosos & rusticos hominum societati graves & odiosos esse. Quam, comprobabis PRIMÒ ab effectis, quòd nemo ferat eum, qui agrestibus moribus præditus*

Pars I.

C

est.

est. **SECUNDÒ**, à contrariis : quod ut elegans in dictis factisque urbanitas ad demerendos mortaliū animos ; ita ad societatem vitæ disturbandam , inurbana rusticitas , vim habeat maximam. Quamobrem moderatores Academiarum & Gymnasiorum nihil præclarius instituisse dices , quàm quòd exercitationes invenerint , quarum usurpatione , & subrusticos adolescentum mores exterminarent , & expolitos elegantesq; insererent : inter omnes porrò exercitationes familiam ducere actionem Scenicam. Laudabis autem Auditores tuæ Scholæ. **PRIMÒ**, *ab animi excelſitate* : quòd multarum hebdomadum , vel commoditatibus , vel jucunditatibus honestatem & laborem anteposuerint. **SECUNDÒ**, *ab animi constantia* : quòd neq; rei eos difficultates à suscepto munere deterruerint , neq; otii lususq; desiderium ab instituto cursu avocârît , neq; comicarum exercitationum crebritas , flagrantem cōcertationum scholasticarum ardorem restrinxerit. **TERTIÒ**, *ab industria*, quæ ita in theatro spectata est ut vix quicquam à summa laude abesse videatur.

PROPOSITIO : Te eosdem , ut in hanc exercitationis palæstram diligenter , ubi res feret , incumbant , adhortaturum , propter rei *dignitatem , utilitatem , & jucunditatem*.

CONFIRMATIONIS DIGNITAS ostendetur ex gloria , quæ actores , parentes , gymnasium sequitur. Nihil enim gloriosius generosis mentibus accidere potest , quam latentes ingenii dotes in lucem proferre , quàm actionis lepore , omnium in se ora , oculosque convertere , & defixos tenere. Spectatores enim in suo genere optimum quemq; obstupescunt , & de eius nomine , parentibus , amicis , conditione percunctantur ; spectaculo dato , personisq; positis cōmendare solent , ac digitis demonstrare. Quæ gloria quantam vim cum ad animos

mos recreandos, tum ad omnem doctrinam, & virtutes excitandas habeat, PRIMÒ *ab exemplo Demosthen. demonstrabis*, qui se voce mulierculæ aquam ferentis, & alii insuffrantis: *Hic est ille Demosthenes*, delectari dicebat. DEINDE, *ab exemplo Ciceronis*, qui quod puer à gravissimis viris in scholis audiretur, & è scholis domum, magna puerorum caterva, florida corona ornatus, deduceretur, ita fuit excitatus, ut postea summus Orator, & prudentissimus Senator evaserit. Ad PARENTUM quoq; gloriam pertinet laus filiorum. Rectè enim Salomon: *Filius sapiens latificat patrem.* Hoc illustra exemplo *Cornelia matris Gracchorum*, quæ filios suos ornamenta pulcherrima nominavit. Vehementem in liberos affectum Deus dedit hominibus; hinc fit, ut omnis filiorum laus in parentes quoq; redundet. *Hic digredere nonnihil in parentum curam & diligentiam in ornandis filiis &c.* Ad gymnasii quoq; decus atq; gloriam vehementer interest. Laudatur enim locus, ubi tam præclara indole, tam apti ad res pulcherrimas adolescentescens instituuntur.

UTILITAS ex eo PRIMÒ ostenditur, quòd rusticam verecundiam propulset, quæ, Seneca teste, ingenia vel maximè debilitat. Sic Herodes Atticus Orator, cū coram M. Antonio peroraret, metu præpeditus obmuit, & ignominiaæ tædio affectus ad Istrum veluti moriturus decessit. Demostheni ad Philippum oranti, propter formidinem, verba ingeniumq; defuerunt, &c.

SECUNDÒ, Major comparatur doctrina, tam multis egregiis sapienterq; scriptis, & versibus, & sententiis ediscendis. Necessè enim est cum drama ediscunt, omnes omnium personas propemodum memoria tenere (quippe quas sæpe numero cum exercentur audiunt;) in Latinitate, & orationis virtutibus, nonnihil etiam proficere, atq; ad scribendum loquédumq; aliquam sibi supellectilem comparare.

TERTIÒ, Augetur prudentia cognitione decori, cum animadvertimus in œconomia adhibitum esse iudicium, cum personæ cuiusque sermonem audimus, qui ad naturam, ingenium, mores illius omninò est adpositus.

QUARTÒ, Morum elegantia acquiritur, accuratè gestum agere, moderari manus, vultum, corpus totum ac vocem inflectere & variare condocemur.

JUCUNDITATEM *inde probabis*, quòd ludos scenicos voluptatis ergò, & ad erigendam naturam strictamq; frontem repertos esse scribant plerique. Polybius auctor est, Arcades, quòd erant adèd austeri & duri, quòd civium animos mitigarent, ludos excitasse.

In REFUTATIONE dilues hanc objectionem: Apud veteres probro datum est histrionicam facere. Dices enim id non fuisse mirum, cum quòd argumenta prisca Comœdiarum fuerint levia, litigiosa, nugatoria, impura, tum quòd istæ actiones lenonum, meretricum, parasitorum, servorum callidorum, adolescentum afortorum personis fuerint infectæ: Dramata verò nostra illustres, graves, notas historias, & frequenter è S. litteris petitas continent, ac personæ sunt honestæ, sacræ, aut certè non spurcæ, ut nunc laudi sit omnibus agere.

PERORATIO *gravem habebit adhortationem ad adolescentes*, ut quando res feret, diligentem Actioni Scenicæ dent operam.

X. VIRTUTIS STUDIUM CVM *litteris conjungendum esse.*

*Middendor-
pius lib. I. de
officiis scho-
last. c. 3.*

EXORDIUM à nostrorum temporum deploratione *educetur*, quod cum plurimi sint literarum cognitione imbuti, miserimas tamen Reip. calamitates ab iisdem inferri videamus: cuius causam
cam